Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 435
Quelle:
Copyright:

ſecundo ad innocentium ſeptimum. Et ab henrico tertio conclude per ropertum de bauaria. Quintum ſeu caudam horum quarteriorum incipe ab innocentio ſeptimo ad pium ſecundum modernum. Et ab roperto ad fredericum tertium modernum. Atque haec ſic ſatis conſonant. Sequuntur dein συγχρονως Pontificum et Imperatorum nuda Nomina, niſi quod ad *Pium* I. notetur: *Quedam cronice habent anicetum poſt pium.* Et recte. Praeterea exacto quovis, quod ſtatuit autor, *Quarterio* annorum fit ſubputatio; demum recentiore calamo adjecti ſunt: *Paulus* II. et *Maximilianus* I. Haec *Petri Pictaviensis* veluti continuatio a *Codice Zwinglii* abſuit; adjecit illi autem idem Chronologus ignotus

IIII. *fol.* 24. p. 2. *Nomina archiepiſcoporum ſancte eccleſie Colonien.* Unde concludas, illum *Coloniae* aut in ejus vicinia vitam egiſſe. Orditur a S. *Materno*, quem noto errore a S. *Petro* miſſum ait, cum re ipſa ad Sec. IV. pertineat. Omiſſo ejus ſucceſſore *Euphrate* ad *Severinum* tranſit, cui annus 428. adſcriptus. Quem alii *Aquilinum*, *Solinum* aut *Solanum* volunt, *Solacium* adpellat. *Domitianum*, *Charentinum* et *Ebregiſilum* omittit. *Chuniberto* perperam an. 600. addit. *Reginfridum Agilolfo* praeponit. Poſt *Hildegerum* tacet *Hildebertum.* Pro *Berthelino* legitur *Werhelinus* aut *Werhelmus*, atque ab hoc deinceps ſingulis annus additur, quamvis nunc adcuratiorem longe χρονολογιν habeamus. *Guntharius Haldeboldo* poſtponitur. Omittuntur *Hugo* et *Hilduinus.* Scribitur *Engelbertus* recte pro quorundam *Engelbergo.* Poſt *Wilhelmum de Gennep* tacetur *Johannes de Virnenburg*, item *Conon* poſt *Engelbertum* III. Ad *Theodoricum* haec notantur: *Iſte fuit ortus comes morſenſis et rexit eccleſiam colon. annis* — — (48) *tandem anno domini 1463.* (al. 62.) *defunctus eſt in feſto ſancti valentini* (14. Febr. al. 18.) *ſepultus colonie ante tres reges. det ei deus requiem Amen.* Alia manu adjecti ſunt *Hermannus*, *Philippus*, *Hermannus* Succeſſores, quorum poſtremus electus 1515.

CLV. VIIIcA.9.

Codex partim membraneus, partim chartaceus germ. Sec. XV. Folior. 259. f. max. bene ſcriptus, coloribusque illuſtratus, figuris tamen valde rudibus, continet *Anonymi Paraphraſin in multos S. Scripturae libros*, quos ipſe enumerat in epigraphe inferius adferenda. Sic vero minio exorditur: *Hie hebt ſich an die Bibel in deutſch. vnd ſagt von erſt von der beſchephung hymelreichs vnd ertreichs die vorred.* Praefationis initium: *Ein yegleicher furſte hat in ſeinen palaſt drey Stet Aine an der man richtet die ſache vnd haiſſet die* Schranne *Die ander Stat haiſſet ain* Müshaus *da man das volkch ynne ſpeyſet Das dritte iſt ſein* ſlaffhaws *in dem er ruet* &c. Atque tria haec dein Deo adplicantur. 43